



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 19. Instructio Pastoralis Episcopi Posnaniensis pro Clero & populo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](#)

Sæc. XVIII.
A.C. 1739.

§. XIX.

Instructionis Pastoralis Episcopi Posnanensis pro suo Clero & populo.

Postquam Theodorus Comes de Czartoryski antea Ploccensis Episcopus ad Posnaniensem Ecclesiam, ut supra meminimus, evectus erat, suum restaurandæ disciplinæ Zelum præclaro specimine hoc anno priusquam suam Diœcesin adiret, comprobavit; incitatus enim suorum Prædecessorum præcipue Tarli & Hosii exemplo, cum temporis iniquitas Synodus convocare non permetteret, Pastoralem confecit Instructionem, eamque Varsoviæ typis Serenissimæ Regiæ Majestatis & Republicæ publici juris fecit: sub hoc titulo: *Epistola Pastoralis celsissimi Principis ac Domini Domini Theodori Ducis in Klewan & Zukow Czartoryski Episcopi Posnaniensis ad universum Clerum & populum ejusdem Diœcesis.* Hujus synopsin adducere haud inutile erit. Complectitur hæc epistola, in qua nihil, quod longa deliberatione captoque prudentum consilio non sit mature discussum atque digestum contineri, testatur Episcopus, triginta & unum articulos, in quorum primo de Parochis per Archidiaconos visitandis

Cc 5 Epi-

Sæc. XVIII. Episcopus præcepit, ut ejusmodi vil-
A. C. 1739. tatio novo post publicatam hanc in-
structionem Mense fieret, & de peractu
ad Eundem referretur: In secundo ar-
ticulo agitur de officio & potestate De-
canorum, quibus injunctum, ut immi-
bimestre omnes sui Decanatus Ecclesiæ
visitarent, in earum temporalem d-
spiritualem statum inquirerent, & uniu-
desuper confectum exemplar in cuius-
libet Ecclesiæ archivo relinquenter,
alterum ad Episcopum transmittenterent.
Agebatur insuper in hoc articulo de
Congregationibus Decanalibus, quarum
formam & Ordinem Episcopus his de-
cem capitibus absolvit. I. „Decanus
„quilibet diem & locum eligat, qui
„sibi pro habenda sui Decanatus Con-
„gregatione in Octobri proxime futuro
„commodior videbitur, Literasque cir-
„culares, in quibus hujusmodi dies &
„locus præfigatur ad vicinorem Paro-
„chum, hic ad alterum, & ita dein-
„ceps usque ad ultimum, mature trans-
„mittat. „

II. „His Congregationibus adesse
„teneantur omnes Parochi eorumque
„Vicarii, Scholarum etiam Rectores
„& Cantores. Quodsi aliquis eorum
„absentiæ caussam habuerit legitimam,
„nisi ea omnibus nota sit, per literas
„aut nuntium hujusmodi caussam ex-
„po-

„ponat: alioquin puniatur multa pe- Sæc. XVIII.
 „cuniaria pro culpa cuiusque statuenda, A. C. 1739.
 „atque per Officiales Nostros irremis-
 „sibiliter exigenda, & Hospitali aut Ec-
 „clesiæ loci, in quo Congregatio ce-
 „lebrabitur, applicanda, agente pro ea
 „Decano, expensis ex eadem multa
 „deducendis.,,

III. „Qui Congregationi adesse de-
 „bent, aut pridie, aut hora septima die
 „præfixo matutina, ad locum assigna-
 „tum adveniant; cantataque Missa de
 „Spiritu sancto, aut de officio diei (si
 „nimirum Votivam eo die celebrari
 „Rubricæ non permittant) Decanus
 „brevi & nitido sermone caffas, &
 „fructus hujusmodi convocationis ex-
 „plicet.,,

IV. „Unus e Sacerdotibus congre-
 „gatis, a Decano deputetur in Secre-
 „tarium Congregationis, qui acta hu-
 „jusmodi Conventus connotet, & cum
 „ipso Decano alteroque sacerdote ei
 „bene viso subscribat, ad Nos Officia-
 „lemve nostrum transmittenda.,,

V. „Epistolam hanc Pastoralem di-
 „stincta voce per unum e Congregatis
 „sacerdotibus Decanus legi coram om-
 „nibus faciat. In hac tamen lectione
 „omitti poterunt articuli, qui Regula-
 „res & Moniales concernunt, si scilicet
 „illi, vel istæ intra fines Decanatus non
 „re-

Sæc. XVII. , reperiantur. Post perlectum quem
A. C. 1739. „libet hujuscæ Epistolæ articulum, paulo
„fiat: ut singuli, si quid circa illius articuliculi materiam proponendum habue-
„rint, proponant: resque statim a Decano & aliis Congregatis decidatur,
„vel ad Nos Officialesve nostros remittatur, & in actis per Secretarium no-
„tetur, priusquam ad alios articulos legendos procedatur.“

VI. „Finita Epistolæ lectione con-
„gregati, si quos casus explicatu dif-
„ficiiores habuerint, singulatim propo-
„nant, initoque cum Decano & aliis
„consilio, quod optimum & magis erit
„videbitur, statuatur, & decidatur, &
„in actis describatur, vel si majori in-
„dagine egeat, ad Nos, aut Officiales
„Nosotros deferenda in actis similiter
„adnotetur.“

VII. „Decanus si quid præterea mo-
„nendum habuerit, aut si aliquis e Con-
„gregatis correctione indigeat: moneat,
„corrigat & instruat in Spiritu lenita-
„tis, vel si id pravitas excessuum postu-
„let, aut si corrigendus contumax fue-
„rit, ad Nos, sive Vicarium Nostrum
„Cardinalem deferat, & in acta Con-
„gregationis referri curet.“

VIII. Nemo inter consulendum im-
„modestis vocibus perstrepere, vanisve
„aut obstinatis disceptationibus con-
„teu-

„tendere audeat: sed omnia sedate, Sæc. XVIII.
„prudenter, brevibusque quantum fieri A. C. 1739.
„poterit verbis, tractentur, & peragan-
„tur.

IX. „Acta hujusmodi conventuum,
„in libro per Decanum comparando,
„conscribenda? penes ipsum Decanum,
„aut si ita judicaverit, penes Congrega-
„tionis Decanal Secretarium, rema-
„neant. „

X. „Denique indicto per Decanum
„alterius Congregationis post semestre
„circiter habendæ loco & die, sumpta-
„que sobria & frugali refectione, ad
„propria discedatur. „

THEODORUS
Episcopus Posnaniensis.

In articulo III. *de consultationibus su-*
per casibus conscientiæ Episcopus manda-
vit, ut ejusmodi consultationes Posna-
niae & Varsoviæ bis quolibet Mense in-
stituantur, ibidemque ad utilitatem eo-
rūm, qui in tribunali pœnitentiæ arbi-
trōs ac judices conscientiarum agunt,
de peculiaribus conscientiæ casibus
conferatur: præscripsit etiam harum
collationum methodum articulis se-
quentibus I. „Inchoabuntur hujusmodi
„Consultationes Varsoviæ in Seminario
„Sanctæ Crucis, die Veneris, publica-
„tionem

Sæc. XVII^I, tioneum præsentium proxime secutum.
A.C. 1739., hora tertia pomeridiana, præsidente
 „illius loci Præposito, qui præmissa Au-
 „tiphonea: *Veni Sancte &c.* cum versu
 „oratione de Spiritu Sancto, utili-
 „tem hujusmodi Consultationum, et
 „rumque necessitatem plana ac nervosa
 „oratione, solidisque argumentis de-
 „monstrare conabitur; tum pro argu-
 „mento futuræ consultationis, selecti
 „ad id Theologiæ moralis materia, tre-
 „circa illam conscientiæ casus in scripto
 „congregatis omnibus distribuendo pro-
 „ponet, & ore tenus explicabit, atque
 „aliquot e congregatis rogabit, ut ad
 „illos in futura sessione resolvendos se
 „præparare non graventur.

„II. Post duas abhinc hebdomadas,
 „die scilicet Veneris eadem hora in eo-
 „dem Seminario consultatio super dictis
 „casibus habebitur, in qua præmissa ut
 „prius precatiuncula, roganteque dictio
 „Præposito, qui se ad resolvendos ca-
 „sus præpararunt, eos sigillatim reflo-
 „vent, afferentque momenta ex Scrip-
 „tura Sacra, Sanctis Patribus, Con-
 „ciliis, summorum Pontificum Decre-
 „tis, jure canonico, ex probatissimis
 „Autoribus, & ex Theologicis rationi-
 „bus ad sententiam suam firmandam
 „petita, nitido breve quoad fieri po-
 „terit sermone. Si qui præterea e Con-
 „gregatis

„gregatis super proposito casu aliquid Sæc. XVIII.
„dicendum habeant, petita a Præsi- A.C. 1739.
„dente licentia, paucis in medium affe-
„rent. Tum præfatus Præpositus rem
„concludet, resolutionem casus affe-
„rendo, eamque momentis e fontibus
„supra dictis assumptis confirmando,
„& objecta, vel quæ in contrarium
„obiici possent, diluendo. His perac-
„tis Regens Seminarii insignis Collegia-
„tæ Sancti Joannis, vel qui ejus loco
„hujusmodi consultationi intererit, tres
„alios casus super alia materia, quam
„sibi elegerit, in futura consultatione
„in suo Seminario habenda resolvendos
„in scripto congregatis distribuendo
„proponet, explicabit, eorumque ali-
„quos rogabit, ut ad illos solide defi-
„niendos parati sint.

„III. Altera Veneris die, quæ hanc
„consultationem in quindena sequetur,
„eadem hora ad Seminarium insignis
„Collegiatæ Varsovienis conventus fiet,
„in quo eadem methodo Regens hujus-
„ce Seminarii præmissis præmittendis
„eos, qui ad casus resolvendos se præ-
„pararunt rogabit, ut eorum resolutio-
„nes in medium proferant, tum aliis
„qui voluerint loqui permisis, objectis-
„que solutis, casus ipsos decidet argu-
„mentisque solidis decisionem datam
„firma-

Sæc. XVIII. „firmabit. His peractis, Præpositus
A. C. 1739. „S. Crucis alios tres conscientiæ calo-

„super materia per se electa proponet
„in proxima consultatione decidendo
„aliaque peraget, quæ sub finem Num.
„præscribuntur.

„IV. Hac methodo deinceps alter
„nis diebus Veneris in Seminarii Sa-
„cti Joannis & Sanctæ Crucis consula-
„tiones hujusmodi habebuntur: de
„estate quidem id est a 1. Aprilis ad
„1. Novembris ab hora tertia pomer-
„diana ad sextam: de Hyeme vero id
„est a 1. Novembris, ad ultimam Ma-
„tij, a secunda pomeridiana, ad quo-
„tam, id est tribus circiter horis dur-
„bunt.

„V. Dicti Domini Præsidentes
„sultationum, Secretarium aut singuli
„suum, aut ambo communem confi-
„tuent, cuius munus erit, ea quæ pro-
„ponentur, sub tempus ipsarum consul-
„tationum adnotare, postea vero si-
„gulas consultationes meliori, quo fieri
„poterit, modo, digestas scriptis man-
„dare, typis postea evulgandas. Qua-
„re in loco consultationis statuerit
„mensa, in qua ponentur libri a Präsi-
„dente in casuum resolutione citandi,
„omniaque ad scribendum necessaria.

„VL

VI. „Nomina eorum, qui consulta- Sæc. XVIII.
„tioni aderunt, quavis vice per secreta- A. C. 1739.
„rium notabuntur, hæcque connotatio
„quovis semestri ad Nos a Præsidenti-
„bus deferetur.

VII. „Nemo in hujusmodi consulta-
„tionibus nisi a Præside rogatus, aut
„nisi ab eodem loquendi facultatem ob-
„tinuerit, loquetur. Si vero, quibus lo-
„quendi copia dabitur, nihil dicant,
„quod ad rem propositam non faciat,
„quodve aliorum contemptum, aut ni-
„miam contentionem redoleat, alias a
„Præside moneantur, & si pergant, silere
„omnino jubeantur.

VIII. „Hæc omnia, quoad fieri po-
„terit, observabuntur Posnaniæ in simi-
„libus consultationibus, quarum tem-
„pus, locum, atque Præsides assigna-
„bimus, ubi primum ad illam civitatem
„pervenerimus.

Postea recensuit peccata in hac Diæ-
cesi Episcopo reservata hoc ordine:
I. Levis percussio Clerici. II. Omne
crimen Papæ reservatum, si fuerit oc-
cultum.

III. „Incendium frugum, domorum,
„si fiat ex deliberata voluntate. Par-
„ter consilium, auxilium ad id datum.

IV. „Peccatum, ob quod publica &
„solemnis pœnitentia est imponenda;
Hist. Eccles. Tom. LXXVI. D d præ-

Sæc. XVIII. præcipue concubinatus, & adulterium
A. C. 1739. publicum.

V. „Blasphemia publica & notoria
VI. „Homicidium voluntarium, v.
„realis alicujus membra abscissio.

VII. „Injectio manuum in Parentes
VIII. „Crimen falsi, cum quis vitio
„scripturas, vel dat falsum testimonium
„vel cum advocatus, aut Notarius in
„strumenta partis adversæ, alteri part
„demonstrat, item monetæ, mensurae
„rum, & ponderum falsificatio.

IX. „Sacrilegium, hoc est, rei fa
„cræ vel etiam profanæ in loco sacropo
„furtum aut rapinam ablatio.

X. „Usurpatio bonorum post cleri
„cos demortuos, sive testatos, sive in
„testatos, si id fiat sine scitu & licentia
„Nostra, vel officii Nostri.

XI. „Sacrilegium, divinatio, incan
„tatio per tacitam, vel manifestam dæ
„monis invocationem.

XII. „Procuratio abortus etiam ante
„animationem fœtus.

XIII. „Oppressio infantium in lecto.

XIV. „Incestus in primo & secundo
„consanguinitatis & affinitatis gradu.

XV.

XV. „Violatio Monialis, vel sacrile- Sæc. XVIII.
„gium cum eadem commissum. A.C. 1739.

XVI. „Peccatum Sodomiticum &
„bestialitas.,,

XVII. Detentio iniqua censuum, de-
„cimarum, legatorum ad Ecclesias per-
„tinentium. Notandum, quod Regu-
„lares etiamsi vigore Privilegiorum suo-
„rum a sancta Sede Apostolica concef-
„forum habeant facultatem absolvendi
„a casibus Papæ reservatis, non pos-
„sint tamen absolvere a casibus reser-
„vatis Episcopo, nisi ad hoc specialem
„ab eodem, vel ejus Vicario Generali
„habuerint licentiam.

THEODORUS
Episcopus Posnaniensis.

In quarto articulo præscribitur *Re-*
sidentia Beneficiatorum, ubi etiam agitur
de pluralitate beneficiorum, & in quinto
articulo de *confessione & communione Pa-*
schali, atque *Bulla Cœnae publicanda*: Sta-
tuitur, eos, qui tempore Paschali con-
fessionem & S. Communionem neglexer-
rint, anathemate esse plectendos, &
Bullam *in cœna Domini* quotannis feria
quinta Hebdomadæ majoris coram po-
pulo prælegendam: eapropter illam Epi-
scopus Polonice redditam imprimi cu-
ravit. VI. *Actum de fabrica Ecclesiæ.*

Dd 2

VII.

Sæc. XVIII. VII. *De cæremoniis, ac suppellefili juri.*
A. C. 1739. VIII. *De Baptismo*, ubi severè inhibitum

ne hæretici ullo pacto in Patrinos se-
gantur, Patrini vero de spirituali affi-
tate contracta sedulo admoneantur.
IX. *De Sacramento pænitentia*, in quo
articulo Confessariis plures præscribu-
tur Regulæ, & inter alias præcipue
ut damnum illatum ab inferente refa-
ciri, toto studio current, peccata in con-
fessione excepta nec ullo verbo, ullo
signo nec alio quovis modo sub poena
perpetuæ suspensionis, perpetui carce-
ris, & excommunicationis revelent,
nec sub ipsa confessione ad graviora pec-
cata vel gemitu, excretione, fronte signo
crucis signata, aut in rugas contracta cir-
cumstantibus peccati confessi suspicio-
nem ingerant: item si absolutionem qui-
busdam ob confessionem nullam vel aliud
vitium denegent, nihilominus super illos
preces quasdam fundant, crucemque ef-
forment, ne adstantes absolutionem
fuisse denegatam suspicari queant. X.
Actum est de Sacramentis Eucharistia
& Missa Parochiali, extremæ unctionis &
XI. *Matrimonii*, ubi sub poena suspen-
sionis prohibitum, ne ullus Sacerdos
Sponsos omisis bannis seu denuntiatio-
nibus conjungat, excepto casu dispen-
sationis ab Episcopo impetratæ: ne
vero matrimonii impedimenta cuiquam
sint

sint incognita, Episcopus ea in appen- Sæc. XVIII.
dice hujus instructionis in idiomate po- A.C. 1739.
lonico enumeravit, & in festo Epiph-
niæ, necnon in *Dominica in Albis* in
omnibus urbibus & pagis bis in anno
publice in Ecclesia populo prælegi ac
explicari voluit. XII. Actum de *Sa-*
cramentalibus & cœremonialibus, ubi Epi-
scopus fideles admoneri jussit, ut sa-
lem, aquam, vinum, myrrham, au-
rum, thuris grana, palmas &c. bene-
dictas contra Diaboli infestationes, ad
corporis & animæ salutem sacro ac re-
ligioso cultu æstiment atque adhibe-
ant. XIII. *De funeribus* præscriptum
est, ut corpora nec diu nimis insepulta
relinquantur, nec repentina morte ob-
ruti ante viginti quatuor horarum de-
cursum sepeliantur: sedulo etiam ca-
vendum esse, ne funeris expensæ ad
pompam & luxum, sed potius ad pau-
perum levamen & Missarum suffragia
impendantur, nec piæ defunctorum fun-
dationes perire sinantur. XIV. *De illi-*
citis exactiōibus, ubi vetitum, ne quic-
quam a poenitentibus aut communican-
tibus exigatur, & in Baptismi & Matri-
monii administratione duntaxat ultro
oblata recipiantur. & circa exequias
Hosii Episcopi statutum observetur.
XV. *De Prædicatione Verbi Dei, & do-*
ctrina Christiana & de frequentandis Pa-

Dd 3 rochiis,

Sæc. XVIII
A.C. 1739.

rochis, ubi Episcopus declarat, quod Concilii Tridentini Catechismum in Polonicam linguam transferri & fidelibus ruri agentibus communicari, & explicari curaturus sit. XVI. De Parochiis per Parochos visitandis, ubi sancitum, ut quilibet Parochus post publicum suum ministerium suorum fidelium ædes visitet atque ad cujuslibet anni auspicium sedulo describat, quot in sua Parochia pagi, & in quolibet pago quot domus, & in qualibet domo quot personæ reperiantur, in qualibet autem domo incolas convocet, eosque circa articulos ad salutem necessarios, circa sancte Crucis signaculum, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolicum, præcepta Dei & Ecclesiæ diligenter examinet, scelera corrigat, puniat &c. XVII. De cura & administratione Hospitalium. XVIII. De Ordinandis, ubi Episcopus crassam quorundam Clericorum ignorantiam deplorans, statuit, XIX. ut deinceps nullus, nisi saltem in quodam Diæcessis seminario studiis vacaverit, ad S. Ordines admittatur. XX. De cura Sacerdotum infirmorum, eorumque testamentis. XXI. De vita & honestate Clericorum, ubi serio omnibus Clericis injunctum, ut residuas temporis minutias unice S. Scripturæ aliorumque probatorum librum

rum lectioni impendant, ab ebrietate, Sæc. XVIII.
 prohibitis lusibus, avaritia, & volup- A. C. 1739.
 tate abstineant, cum nulla adolescen-
 tula sub uno tecto habitent, tempe-
 rantiæ & puritati studeant, tonsuram,
 nullasque alias, quam nigras vestes &
 pileos etiam in itineribus deferant, nec
 tabernas, convivia aut choreas fre-
 quentent, nec arma offensiva gerant
 &c. XXII. *De Regularibus*, ubi hæc
 leguntur: *Sequens punctum* (de hac Epi-
 scopali epistola) quod respicit Regulares,
 quilibet Parochus, intra cujus Parochiæ
 limites Religiosi cuiuscumque ordinis repe-
 riuntur, sive impressum, sive transcriptum
 de verbo ad verbum. in præsentia duorum
 testium, ad manus Superioris cuiusvis com-
 munitatis religiosæ tradat, & exemplar
 hujusc Epistolæ impressum, & authenti-
 cum eidem demonstret. *Testimonium* vero
 de hac intimatione legitime juxta præsens
 mandatum facta, manu propria subscriptum,
 cum expressione diei, mensis & anni, quo
 dicta intimatio peracta fuerit, ad nos offi-
 ciumque nostrum quam primum poterit, trans-
 mittat. *Idem* etiam præstare tenebitur Pa-
 rochus respectu Monialium, si intra fines
 Parochiæ suæ reperiantur; illis enim pun-
 dum quod ad eas dirigitur, eodem modo
 intimare debet.

Postea Episcopus Regularibus va-

rias Regulas præscribit, ex quibus ter-

Dd 4 tia

Sæc. XVIII. tia sic habet: *Nova miracula ad tempora
A.C. 1729 imagines aut reliquias quorumcumque sanctorum, nisi sint recognita atque approbata Theologorum consilio a nobis approbatas regulares ne publicent; votaque oblata a delibus hoc nomine non recipient nec approbant, nisi facto & circumstantiis ejusdem examinatis, & testimonio fide digniora probatis, quæ in peculiari libro diligenter describantur.*

Quintæ autem Regulæ tenor est sicut sequens: *Omnes quoque Regulares eorum cumque ordinis, instituti aut Societatis, etiam Jesu, monemus, ut ad normam constitutionis Gregorianæ in Synodo Provinciali Petricoriensi 1628. publicatae, immensem a publicatione præsentium, iudicis conservatores e numero iudicum synodalium sibi eligant. Quod si id facere neglexerint, jurisdictioni nostræ sciant se fore subiectos.*

In septima Regula agitur de Orationiis privatis & osculo patenæ, circa quod hæc leguntur: *Osculum patenæ post Missam, etiam a Capellanis ad ambo Magnatum agentibus, nemini offeratur præterquam Regi ejusque familiae, nec nisi fundatoribus & collatoribus, in Ecclesiis quarum fundatores aut collatores sunt; nomine vero aliis personis laicis, in quaevacue dignitate constitutis, etiamsi fuerint insignes locorum benefactores; honore ipso in foliis*

solis reservato, qui ecclesiam aut monaste- Sæc. XVIII.
rium de novo fundarunt, vel hujusmodi A. C. 1739.
fundatorum directi hæredes & successores
sunt, idque sub pœnis arbitrio nostro irro-
gandis. Cæterum ne ipsis quidem hujus-
modi osculum exhibendum erit, nisi prope
altare, in quo celebratur, adsint. Sacer-
dotem enim in habitu sacro per ecclesiam cir-
cumfusare indecens omnino est.

In Regula autem undecima statui-
tur, ut *Exorcistatus officium nemo exer-
cere audeat, nisi ad id a nobis, aut vicario
nostro expressam in scriptis habuerit facul-
tatem.* Illis vero, quibus hæc facultas con-
cedetur, cuiuscumque alterius Ritualis præ-
terquam Romani, & in hoc regno per con-
stitutiones Synodales approbatæ, necnon pre-
cationum, ceremoniarum, observationum,
balneorum, undionum superstitionem redi-
lentium usum severe, sub pœnis pro gravi-
tate delitti infligendis interdicimus.

Reliqui articuli in polonico idiomate
propositi agebant XXIII. de Monialibus,
XXIV. de observatione Festorum XXV. de
jejunio XXVI. de hæreticis, ubi sancitum,
quod si ex Dissidentibus quidam cum
foemina Catholica, vel Catholicus cum
hæretica matrimonium contrahit, vel
longo jam antea tempore contraxit,
eorum proles utriusque sexus in Catho-
lica fide enutriantur &c. XXVII. de Ju-
dæis XXVIII. de Patronis Ecclesiærum,

D d 5 aurum-

Sæc. XVIII. earumque reparacione, item de Decimis,
A. C. 1739. XXIX. de miraculis, obfessis a dæmoni,
 maleficiis & strigibus, vulgo Vpirowie, in
 Vampiris, XXX. de rebus post obitum Cle-
 ricorum relictis XXXI. de cura parvulo-
 rum. Porro ad calcem præclaræ hu-
 jus Instructionis hæc addita leguntur.
Hanc igitur epistolam nostram, ut os-
 nes Parochi, omnesque alii beneficiarii
 statim atque receperint, vocatis ad id so-
 cerdotibus omnibus ad eorum Ecclesias
 manentibus attente legant, & quolibet sa-
 tem trimestri similiter relegant, & ne de-
 pereat, invigilent, hortamur, ac in virtute
 sanctæ Obedientiæ præcipimus. Sciam-
 autem, se per Visitatores an harumce
 terarum contenta probe noverint, exambi-
 nandos, & an executioni mandaverint,
 necnon an ea, quæ publicanda prescri-
 buntur, statis temporibus populo publica-
 verint, sedulo ab iisdem Visitatoribus in-
 quirendum atque in Contravenientes serio
 animadvertisendum &c.

In hac porro epistola id proflus me-
 moratu dignissimum est, quod per ex-
 actam illius obfervantiam Posnanensis
 Clerus & populus sensim ad majorem
 vitæ honestatem, severioris disciplinæ
 studium, & morum compositionem tam
 luculenter reductus fuerit, ut Posna-
 nienses vicinis populis in virtutum cultu
 eminere viderentur. Tanti refert vel
 unius

unius Pastoris vigilans cura, zelus, & Sæc. XVIII.

exempli sanctitas: | Unde zelosissimo A.C. 1739.

huic Præfuli Regulares merito festive

applaudebant, edito programmate gra-

tulatorio, cui titulus: *Hannibal ad por-*

tas Metropolitanæ Majoris Poloniæ Urbis,

militanti Ecclesiæ ad subsidium, triumphanti

ad gloriam. Præcipue notanda sunt

hæc illius verba: „Optamus circum-

„vallati undique tot hostium copiis,

„quod mentibus Calvini Lutherique im-

„butis dogmatibus, principem sacrorum

„dexterimum! Optamus Præfulem,

„qui non minus sceptri gloria fulcire

„Diæcesin, quam ferri acie stolones ab

„Ecclesiæ Romanæ planta refecare pos-

„sit. Huc! huc adeste Ecclesiæ Ro-

„manæ perduelles! vel miti ab inge-

„nio discetis mansuescere, vel a forti

„brachio timere flagitia. Accurritis?

„ad primam oculorum Herculis nostri

„aciem fremite Antæi! prostrati toties,

„a casu surgentes semper. Trepidate

„Hydræ! recisis toties capitibus pullu-

„lantes - - Evaginato per Reges Ludo-

„vicos Galliarum, Philippos Hispania-

rum, Cæsares Carolos, & sexcentos

„alios, ense; ultra Gades pellebamini,

„sed veluti struthiones ab ipso ferro vi-

„res, & animum sumebatis - - Resi-

„piscite! Aviti Pogoniæ ungula prote-

„remini, nisi in catholicæ fidei dogma-

, &

Sæc. XVIII. „& nostram discesseritis in sententiam
A. C. 1739. „Porro verticem subdetis! nisi capio
„in obsequium fidei mancipaveritis. Si
„Christus ad Præfulem: Compello in
„trare. Sic infulatus Pastor ad Christum
„Oportet me illas adducere. Sic non
„utriusque gratias persolveamus, si unum
„Pastorem & unum ovile habuerimus
„Habebimus! Restitues nobis Antilæ
„Celsissime prisca illa saluberrima tem
„pora, in quibus fatum illud domell
„cum non vivebat, & quæ virus hoc
„intra Regni viscera non sovebant
„Fluent gemmis pensanda momenta,
„abscissa membra ad unionem, & fiden
„reduxeris orthodoxam &c.,,

§. XX.

*Molestiæ Basileensi Episcopo ab ejus
subditis irrogatae.*

Jam integrum quinquennium tenuere
diffidia, quibus Basileensis Episco-
pus a Calvinianis suis subditis direx-
batur, seditionis flamas identidem
magis magisque accendente Petro Pe-
tignaco, qui apud rebelles tanta pollebat
auctoritate, ut eum anno hujus sæculi
trigesimo quinto Viennam eorum no-
mine querelas contra Episcopum legiti-
mum Dominum suum ad Cæsaris aures
delaturum alegarent, totamque suam fa-

du-